

Kem 3494

(1-19)



ЗАИГРЫЩА  
АЛАРНІ. ЗАИГРОВЕНІ  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ

ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ

77  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ  
ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ

ЗАИГРЫЩА  
ЗАИГРОВЕНІ

DE  
HERNIARUM  
OPERATIONE  
ANALECTA

---

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE,

PRO  
GRADU DOCTORIS  
MEDICINAE ET CHIRURGIAE

OBTINENDO,

DIE XIII. SEPT. MDCCXCVII.

EXHIBET

A U C T O R  
FRIDERIC. GUILIELM. FERD. SCHULTZ,  
PRIGNITIUS, *Potsberg*,  
SOC. SYDENHAMIANAE HALENSIS SODALIS.

---

HALAE,  
IN OFFICINA BATHEANA.



M U S I C A M A T H E M

E R G E N T A T I O N

A T T O M A T A

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

M A T H E M A T I C A M A T H E M

V I R O

EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

CAROLO GUILIELMO  
SCHULTZ,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,  
ARCHIATRO POPULARI IN PROVINCIA PALAEO-  
MARCHICA, POLIATRO SEEHUSANO,  
WEREENIENSI ETC.

PATRUO SUMME VENERANDO;

N E C N O N

V I R O  
ILLUSTRI CONSULTISSIMO  
IOANNI GUILIELMO LESSER,  
REGI BORUSS. A CONSIL. IUSTITIAE,  
QUAESTORI SUPREMO CIRCULI PRIGNIT,  
ADFINI LONGE DILECTISSIMO,  
HANC OPELLAM REVERENTIAE ET GRATI ERGA  
TOT TANTaque BENEFICIA ANIMI ET  
PERPETUI AMORIS TESSERAM

D. D. P.

A U C T O R.

VIRI EXCELLENTISSIMI, DOCTISSIMI,  
PATRONI ET FAUTORES COLENDISSIMI,

**E**orum, qui aliis libros suos dedicare solent, varia omnino solet esse ratio, cum hi viros dignitate et potentia florentes sibi fautores efficere studeant, illi autem lucri causa suas opellas magnorum hominum nominibus inscribant, nec desint alii, qui, ut splendorrem suo nomini addant, illustribus titulis utantur et abutantur saepissime. Nihil vero horum me permovit, ut primitias studiorum meorum VOBIS, SUMMI VIRI, nunc offerrem, cui, ut VESTRAM mihi benevolentiam conciliem, plane opus non est, experto nempe animum VESTRUM in mea comoda, et operas VESTRAS pro juvanda conditionis meae utilitate tam generoso modo et amica mente impensas. Sane plurimum de me meriti estis, PATRONI OPTIMI, VOBIS praecipue debeo, quod

in fine cursus academici mei hoc tempore,  
quo summi in medicina honores mihi capes-  
sendi sunt, Apollineae arti operam me  
dedisse haud poeniteat, et quod de felici  
studiorum meorum progressu mihi gratulari  
posse videar. Volebam tantummodo, ut publi-  
cum aliquod gratitudinis meae et animi in  
VOS exstaret monumentum, idque hac  
hujus diatribae oblatione VESTRIS nomi-  
nibus amplissimis consecrare satago. Non  
dubito, quin animi nostri sensus quam ipsum  
munus potius intuituri sitis, pacatoque vultu  
levidensem hanc opellam accepturi. Faxit  
supremum numen, ut VOS, VIRI OPTIMI,  
omni humana felicitate pro votis meis frua-  
mini, quam diutissime. Valete, neque  
definite VESTRO favore prosequi,

Amplissimorum Nominum VESTRO-  
RUM,

cultorem addictissimum

Frid. Guil. Ferd. Schultz.

DE  
HERNIARUM OPERATIONE.

SECTIO I.  
HISTORICA.

§. I.

De herniarum earumque externis remediis et ipsa incisione acturum decet, primordia methodi investigare, atque fata varia indigitare, quae operatio haec tulit, ut luculenter pateat recentioris chirurgiae dignitas, aut veterum chirurgorum doctrina ususque. Priusquam autem ipsa methodi hujus vestigia in pristinis monumentis inquiramus, notandum, quod ortus solertioris chirurgiae scholae Alexandrinae tribuendus sit. Antequam enim diducta esset Alexandriae ars medica in tres partes, quibus singulis singuli viri incumberent, medici chirurgiam exercentes operationes ipsas

fere negligebant, vel eas solertia digna non excolebant. Postquam vero suos professores habere chirurgia coepit, in Aegypto quoque increvit, PHILOXENO maxime auctore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentissime comprehendit. Horum auctorum opera quamquam haud amplius supersunt, existant tamen fragmenta eorum varia apud CELSUM, qui solerter atque curatissime ea servavit.

§. 2.

CELSUS, vir ἀνιατρολόγητος, sed judicii et lectionis immensae, ex Alexandrinorum Romanorumque chirurgorum scriptis ea selegit atque posteris reliquit, quae ad manuum operationum exercitium pertinebant. Quod nostram vero attinet operationem hoc modo eam instituere jubet: ramicem, si super ipsum scrotum est, adurendum esse tenuibus et acutis ferramentis, quae ipsis venis infigantur; cum eo, ne amplius, quam has urant: maximeque, ubi inter se implicatae glomerentur, eo ferrum id admovendum, tum super farinam ex aqua frigida subactam injiciendam esse, utendumque ꝑo vinculo,

quod idoneum ani curationibus sit<sup>1</sup>). Tertio die lenticulam cum melle imponendam esse, post ejectis crufis ulcera melle purganda, rosa implenda, ad cicatricem aridis linamentis perducenda esse. Quibus vero super medium tunicam venae tument, incidentum inguen, atque tunicam promovendam esse, ab eaque venae digito vel manubriolo scalpellī separandae. Qua parte vero inhaerent, et ab superiore et ab inferiore parte lino vinciendae, tum sub ipsis vinculis praecidendae, reponendusque testiculus est.

Ubi vero in ipso inguine ramex est, si tumor modicus est, semel incidi; si major, duabus lineis debet, ut medium excidatur: deinde non extracto testiculo colligendas venas vinciendasque esse, ubi tunici inhaerebunt, et sub his nodis praecidendas<sup>2</sup>).

1) Fasciam nempe applicat, cui imo loco pila adsuta est ex panniculis facta, quae ad repellendum intestinum ipsi illi subjicitur, deinde reliqua fasciae pars arete circumdatur, sub quo saepe et intus conpellitur intestinum et inter se tunicae glutinantur.

2) CELSUS lib. VII. cap. 22. 24.

## §. 3.

Ex his CLESI consiliis patet, ustionem atque incisionem ramicis tunc temporis in schola Alexandrina jam insigniter celebratam fuisse. Quod etiam LEONIDAE Alexandrini, Episynthetici dicti, qui non multo ante Galeni tempora vixisse videtur, locus in AETIO servatus confirmat. Communem antiquitatis opinionem, ramicos oriri a rupto peritonaeo, ita LEONIDAS jam finivit, ut alios cum tenso, alios cum rupto peritonaeo junctos esse pronunciaret. Herniam inguinis, quae ruptum supponat peritonaeum, haudquaquam adeo difficilem esse curatu, ac eam, quae extensum agnoscat: in utroque casu primo esse adstringentia apponenda, cum repositae fuerint partes prolapsae, vicinasque esse scarificandas partes. Tum farraginem emplastrorum et aliorum adstringentium ex balaustiis, gallis, rhoë coriaria, acacia etc. suadet. Tutiorem tamen esse his remediis ustionem, si peritus artifex contin-  
gat <sup>3)</sup>.

3) AET. tetrab. IV. ferm. 2. cap. 24. pag. 694.  
coll. STEPH.

## §. 4.

**GALENUS** hanc chirurgiae partem, sicut plerasque alias, in quibus non satis versatus fuit, non admodum dilucide protulit. De vulneribus peritonaei agens, quae intestina prolapsa attraxerunt, non scalpellis utrinque acutis, sed syringotomis instrumentis esse dilatanda haec vulnera, ut intestina prolapsa reponi possint, suadet <sup>4)</sup>). Quem locum frequenter postea adduxerunt, qui de herniarum curatione chirurgica, quam **GALENUS** tamen neglexit, ad **GALENI** mentem loqui cupiebant: unico fere excepto **RHAZEO**, qui non bene ramicum curationem descripsisse **GALEMUM** ingenue fatetur.

## §. 5.

Optime autem et uberrime herniotomiam tractavit inter veteres Graecos **PAULUS Aegineta**, chirurgorum veterum facile princeps. Quum utrumque genus ramicis quoque statuat, cum rupto et extenso peritonaeo; hunc quoque tantum curandum esse

4) **GALEN.** meth. med. lib. VI. cap. IV. pag. 77.  
Cl. VI. ed. FROBEN.

perhibet. Diserte loquitur de herniae inguinalis incisione ope scalPELLi, quam vetustiores medici maxime praedicaverint, quamque ipse unctioni pRaeferre videtur. Hanc tamen operationem, cum recentioribus pRaecepue placeat, esse quandoque instituendam. Trigonum itaque locum atramento describendum esse in inguine, quo facto adhibenda cauteria ipsa et escharas deinde removendas.

Quum vero intestinum in scrotum usque prolapsum fuerit, forteque adglutinatum testiculo, cautissime et uberrime methodum describit, qua vaginalis tunica debeat separari ab intestino atque hoc reponi, ut conglutinatio rupturae contingat 5). Testiculi auferendi saepius necessitatem adesse, monet.

### §. 6.

Qui Graecorum vestigia sequebantur,  
Arabes nil antiquius habuerunt, quam exscribere atque traducere consilia, quae a recentioribus imprimis Graecis exhibita fue-

5) PAUL. Aegin. lib. VI. cap. 65. 66. p. 199.  
200. (ed. Basil. graec. fol. 1538.)

rant. Cauteria imprimis adhibenda esse in hernia IOANNES SERAPIONIS filius, Syrus, seculi noni initio<sup>6</sup>, suadet <sup>6</sup>). RHAZEUS quoque meliora forsan cognoscens consilia PAULLI Aeginetae, Galeni tractatum de herniis vilipendit. Ipse tamen praeter emplastra ex bdellio et ammoniaco composita nullam fere suadet operationem: bene tamen distinguit inter herniam omenti et intestinorum <sup>7</sup>).

Emplastra varia adstringentia commendat ALY ABBATIS filius, in ea herniae specie, quae relaxationem supponit, lubenter autem concedit, ruptura cum adsit in hernia, haudquaquam haec sufficere remedia: sed debere refugi ad cultri opem <sup>7</sup>).

### §. 7.

Negligenter et obiter tractat hernias Arabum medicorum princeps EBN SINÄ. Primo distinguit rupturam a relaxatione peritonaei in hernia. In illa consolidandum esse vulnus, in hac vero adstringendas partes laxa-

<sup>6</sup>) Pract. lib. V. c. 15. fol. 136.

<sup>7</sup>) HALY ABB. pract. lib. VII. c. 51. f. 152. c.

tas. Consolidari autem posse vulnus medicamentis glutinantibus et stypticis, quibus operem ferat aliquando cauterium, sed ferrum ipsum dissuadet meticulosus homo, qui, more orientalium Arabum, quamcunque metuit operationem ferro institutam. Stypticis variis et brachetiis credit omnes curationis numeros absolvit posse <sup>8)</sup>.

### §. 8.

Sicut eminet inter Graecos PAULUS Aegineta, ita inter Arabas palma dignissimus est ABULCASIS ALZAHARAVIUS, Hispanus, qui seculo duodecimo vixit. Egregie et masculine docet herniam scrotalem hoc modo tractandam esse: Dum decumbat aeger supinus, extendendam esse cutem, quae sequatur inguinalis sursum, scindendam testiculorum tunicam omnem in longitudine, dein figendos esse in labiis vulneris hamos, quibus opus sit, ut illis aperiatur incisio. Sit autem incisio ejus magnitudinis, ut possit testiculus transire. Dein deglubendas esse membranas, quae sub cute

8) Avicenn. canon. lib. III, fen. 22, tr. 1, c. 2.  
f. 398. b.

testiculorum sunt, adeo ut albuginea ex omni parte deradatur. Tunc intromittendum digitum indicem in id, quod est inter membranam albugineam et inter membranam secundam, itaque liberandam adhaerentiam a parte testiculi postera. Tum conduplicandam manu dextra cutem testiculorum introrsum et simul extendendam esse membranam albugineam sursum manu sinistra: sursum testiculus attollendus et liberanda adhaerentia, quae a tergo est. Scrutandum insuper digito, ne sit ibi quid intestini in membrana albuginea involutum. Quodsi tantillum ejus ibi inveneris, intrudas illud in ventrem. Dein sumatur acus, in qua est filum crassum ex decem filis conduplicatum, et intromittatur prope extremum membranae, quae est sub cute testiculorum, quae sequitur fissuram. Tum incidendas esse fili extremitates, donec sint quatuor fila, et componendam partem earum alteram cum altera, in forma crucis, et cum illis ligandam membranam, quae dicta est esse sub cute testiculorum, ligamento forti a duobus lateribus. Tum etiam involvendas filorum extremitates et ligandas ligatura forti adeo, ut non possit ex vasis, quae nutriunt, ad illos aliquid san-

guinis dimitti, ne ab hoc accidat tumor calidus.

Fiat etiam secunda ligatura extra primam, ab hac distans paullo minus quam duos digitos. Post has duas ligaturas, linquas ex membrana, quae est sub cute testiculorum, quantitatem magnitudinis digitii, et residuum omne ejus rotunda forma incidas, et cum eo testiculum etiam auferas. Deinde facienda in inferiori parte cutis testiculorum incisio, ut ex ea affluat sanguis et sanies, lana autem carminativa in oleo madefacta adhibetur, et in vulnus applicetur. Quandoque quoque aduritur membrana albuginea post incisionem, ut sanguinis fluxus sistatur.

Cum tantum in inguine adeat hernia, curanda vel ustione, vel incisione. Haec vero ita fit, ut incidatur locus rupturae tumens per latitudinem, ad trium digitorum quantitatem. Deinde firmiter constringendae membranae, quae sunt sub cute, adeo ut denudetur membrana alba, quae sequitur cutem. Radium deinde imponas loco eminenti, fortiterque comprimas membranam, ut in profundum ventris

ventris transeat; post consuas duo loca eminētia super extremitatem radii, et coniunge futura unum cum altero. Deinde extra hec extremitatem radii, neque incidat membranam, neque tangas testiculum, neque quid aliud; tum curato modo eo, quo vulnera curantur 9).

### §. 9.

En totam ALBUCASIS methodum, qua operationem in hernia instituit! Transiit chirurgia Arabum demum in Occidentem, et primae faeculi decimi tertii scholae Italicae bene hactenus meruerunt de arte chirurgica, ut bona praecepta Arabum in suos usus converterent atque ad statum morbosum applicarent.

ROGERIUS jam Parmensis ustionem ramicis uberius describit, quam in rupturis magnis, aut iis, quae in proiectiore aetate accidunt, instituendam esse prohibet. In decubitu supino testiculus partis affectae cautissime ducatur ad herniae locum, et ibi carbone signe-

9) ALBUCAS. chirurg. lib. II. sect. 67. p. 10  
312. ed. Channing.

B

tur orbis. Tunc ferrum calidum in orbem ducatur et in formam crucis; firmiter autem ligetur ope acus subtilis pars prolapsa: quo facto tribus cauteriis caute et diligenter usque ad stylos subtus immisso uratur. Est quandoque ruptura parva, tunc accipiatur pellicula cum testiculo, et ferrum candens ducatur huc et illuc, sursum et deorsum, et hoc tribus vicibus. Quandoque supra eumdem locum accipitur pellicula sola et in longum inciditur, et testiculo hinc inde usfo adhibeantur adfringentia<sup>10)</sup> Eodem modo curat rupturam siphac discipulus ROGERII, ROLANDUS Parmensis<sup>11)</sup>.

#### §. 10.

Uberius adhuc describit incisionem herniae GUILIELMUS de SALICETO, ejusdem seculi chirurgus. Ante operationem clysmata applicat, tunc inquirit in locum eum, unde testiculus in scrotum descendere solet, ita ut ducat testiculum versus annulum inguinalem. Quo explorato, mittendus testiculus, ut descendat versus locum congruum, neque ex-

10) ROGER. chirurg. c. 37. f. 375. a.

11) ROLAND. chirurg. c. 32. f. 198. a. b.

trahendus, ut faciunt quidam stolidi medici et ignorantes: sed nervum illum solum et viam accipe, per quam descendebant intestina ad locum testiculi, quae via dicitur didymus et oscheum, et liga illam viam et nervum optimo filo laneo et lineo subtili quadruplicato in duobus locis illius nervi, et sit inter duas illas ligaturas distantia unius digiti: et illud spatium incidatur per medium in transversum, subitoque cauterizetur totus locus incisionis, postea impleatur plumaceolis albumine ovi solo involutis, et fasciis probe ligetur. Glysma-ta autem quotidie postea applicentur et decubat semper supinus aeger, usque dum sanguinis fluxus non ultra metuendus fuerit. Tunc butyro illito eschara solvenda. Saepius tamen absque ulla incisione solis constringentibus et bracheriis se curasse has hernias testatur<sup>12)</sup>. Verbotenus fere ABULCASEM sequitur BRUNUS Calaber<sup>13)</sup>.

### §. II.

Chirurgiae Gallicae instaurator, LAN-  
FRANCUS Mediolanensis, sicut multa peculia-

B 2

12) GUILIEM. DE SALIC. c. 44. f. 317. b.

13) BRUN. c. 10. f. 126.

ria habet, ita etiam hanc methodum suo plane modo tractat. Primum quidem dignoscendum esse speciem herniae, adsitne vera peritonaei fissura, sive laxatio tantum ejusdem, quod ex doloribus subitaneis conatur cognoscere, et ex facili adscensu intestinorum prolapsorum, dum sursum reprimantur, cum ruptura vera adfuerit. Lentius vero descendere intestina, neque adeo profundum petere locum, neque tam facile retrocedere represa, cum sola relaxatio tunicae adest. Ubi per fissuram descenderunt intestina, non laborandum diutius in emplastris et bracheriis, sed cauteria applicanda, ut cicatrix oriatur super ruptura. Varios modos deinde recenset, quo herniotomia perpetratur. Nonnullos enim testiculum extrahere, quod ipse etiam minime reprobat, alio tamen modo curationem fuscipit. Etenim prius urit candente ferro funiculum spermaticum, ut cicatrix firma oriatur: cum vero deinde corruptio testiculi necessario sequi debeat, emittit postea putridum testiculum. Aliam methodum minus certam habet. Reductis enim intestinis a loco superiori ossis pectinis usque ad inferius, facit ordinem cauteriorum punctualium, ut unumquodque cauterium ad os usque

descendat. Nam ex hoc dura cicatrix oboritur, quam transfire intestina ulterius nequeunt. Aliam denique methodum suo ingenio perfectam ita describit: tenacula duo per longitudinem scissa ita admoveat cuti pectinis, ut cultellus median scissuram transfire possit: stringit cutem et simul candente novacula totam hanc pellem comburendo transscindit, ut fiat cicatrix. Postea funiculus spermaticus cicatrice obducendus: unco postea elevat funiculum et filo fortiter constringit, sub illo autem applicat cauterium, quo cicatricem conatur producere. Filum illud funiculo spermatico injectum cavet a noxa cauterii, nec reprimit nutrimenti transitum ad testiculum. Denique taxat eos qui sine urgentibus indicantibus operationem hanc, vel etiam unctionem testiculi fuscipient, cum variae herniae possint etiam absque operatione solis bracheriis sanari. 14)

### §. 12.

Transeo jam ad seculi decimi tertii lumen, **GUIDONEM de CAULIACO**, qui insigni-

14) Lanfranc. chir. magn. tr. III. doctr. 3. c. 7.  
f. 242. b.

ter meruit de toto artis chirurgicae ambitu. Hic praestantissimus autor et hanc operationem variam ex sententia variorum auctorum recenset. Incisionem suaferant Albucasis et Brunus; cauterium idem Albucasis et Rogerius; ligaturam idem Rogerius; elevationem funiculi spermatici et unctionem pectinis Lanfrancus; filum aureum autem **BERNARDUS METIS**, obscurus ceteroquin homo. Incisa enim carne ligabatur funiculus spermaticus filo aureo, suebatur vulnus, et intus filum linquebatur. Et ita longitudine constrictio corrugabatur et constringebatur funiculus. Ipse vero **GUIDO**, quia ignis sit terribilis, elegit sibi cauterium potentiale, et praesertim arsenicum, quod cum aceto temperat aut cum opio et bona diaeta. Tum reducto testiculo, signat carbone ambitum testiculi, et ad mollem castaneae parvae ex calce viva et sapone molli ruptorium parat, et circumdat ruptorium panno cerato. Altero die solvit ligaturam et incidit locum, quo facto in foveam arsenici cum opio mixtum tantillum condit, quantum frumenti granum complectitur. Ligatis porro partibus non removeatur causticum, nisi post duos aut tres dies, donec dolor

quieverit. Ita continuo fiat, donec caro tota sit corrupta ad funiculum spermaticum usque, quod cognoscitur per inflationem bursae testiculorum et per dolorem partium posteriorum. Varios deinde casus narrat, ubi hoc corrosivum tutissimum praebebat medellam.<sup>15)</sup>

LANFRANCI modum sequuntur PETRUS ARGELATA<sup>16)</sup> et Marcus GATINARA:<sup>17)</sup> causticis enim cute aperta, cultello ignito scrotum amburunt.

### §. 13.

Ustio itaque funiculi spermatici, ipsaque castratio in toto fere medio aevo summis laudibus celebrabantur, ut et seculo decimo sexto Ioannes DE VIGO ignem adhuc vinculo jungeret,<sup>18)</sup> et Gabriel FALOPPIUS urere jubar annulum abdominalis ad cicatricem

15) GUID. CAULIAC. tr. VI. doctr. 2. f. 77. c.

16) Oper. chirurg. f. 107.

17) De curis aegritud. f. 162.

18) Chirurg. lib. II. f. 82.

producendam et callum annulo inducendum.<sup>19)</sup> Illo autem seculo magnum ingenium Ambrosii **PARAEI** illuxit, qui egregiis argumentis ustionem vasis spermaticis nocere docuit, castrationemque prohibuit. Plumbo potius quam auro processum peritonaei intercipit: atque, quoties plurimus adeps processui peritonaei adhaeserit, saccum super specillum aperire jubet.<sup>20)</sup>

Neque tamen penitus desertae fuerunt variae methodi, quibus veteres utebantur. Petrus enim **FRANCO**, chirurgus Lausannensis, in usum iterum vocavit punctum aureum **BERNARDI METIS**, quod nullum dolorem afferre fatetur.<sup>21)</sup> Itali fere omnes chirurgi, **FABRICII HILDANI** temporibus, ferro et igne libere utebantur: punctumque aureum a variis Germanis, ut Henrico **SOBINGER**, adhibebatur. Ipse tamen **HILDANUS** ut et **FABRICIUS AB AQUAPENDENTE**, abstinebant mascula hac ac crudeli methodo, maxime vituperantes

<sup>19)</sup> De vulner. particular. p. 312.

<sup>20)</sup> Oeuvres. liv. VII. c. 19. p. 190.

<sup>21)</sup> Des hernies p. 59.

escharotica et ipsam castrationem. **PARAEUM**  
 quoque sequitar Petrus **PIGRAUS**, facultatis  
 medicae Parisiensis decanus, qui punctum au-  
 reum numquam feliciter cœssisse testatur: ab  
 eo convulsiones natas, quas non potuerit nisi  
 extirpato testiculo sanare, et caustico quoque  
 herniae applicato mortem observavit. Satis  
 recte herniam uri, donec cicatrix dura in-  
 testinum retentura subnascatur. <sup>22)</sup>

#### §. 14.

Ultra veri limites masculam chirurgiam  
 varii praeteriti saeculi chirurgi spreverunt,  
 velut Hugo **BABYNET**, medicus Aurelianensis,  
 qui emplastrum suum laudat ex pice alba  
 cum terebinthina et rubro santalo composi-  
 tum: id mire extollit in sinistri lateris herni-  
 is, dextro latere utitur bracherio. Deinde  
 probat succos adstringentes tormentillae et  
 alias. <sup>23)</sup>

Quos quidem injustos contemtores ma-  
 sculae chirurgiae uberrime et acute refutat

22) **PIGRAI**. epitome praecept. chirurg. p. 270.

23) La maniere de guérir les descentes de boyaux  
 sans tailler ni faire incisions. 12. Haye. 1630.

Marc. Aurel. SEVERINUS, medicus Neapolitanus. In ileo enim, qui herniam incarcera-tam sequatur, sine mora novacula discinden-dum ligamentum seu vinculum inguinis, vel etiam testiculus exsecandus. <sup>24)</sup> Ustionem quoque commendat ut maxime salutiferam methodum in herniis plurimis. <sup>25)</sup>

Ita quoque Guilelmus HARVAEUS masculam chirurgiam in hoc adfectu exercebat. Id solum in excindendis herniis cancrosis egisse se testator, ut praecisa vel ligata arteriola, nihil nutrimenti ad partem laborantem acce-deret: quo factum, ut tumor morticinus fa-cile postea vel ferro vel igne extirparetur. <sup>26)</sup> Eberhardus GOEKELIUS hoc tempore rarissi-mam publicavit observationem herniotomiae, quam in se ipso aeger instituerit, vasa sperma-tica cum testiculo, intermissa ligatione, abscin-dens, a nimia haemorrhagia ferme exanimis restitutus. <sup>27)</sup>

24) De efficaci medic. p. II. c. 5. p. 79.

25) Ib. p. 134.

26) HARV. exercit. de generat. animal. p. 84.

27) GOEKEL. observ. cent. II. cons. 68.

Opinio vetus, herniarum alteram spe-  
ciem oriri ex relaxato, alteram e rūpto pe-  
ritonaeo, a variis praeteriti seculi chirurgis  
adhuc defensa fuit. Sic PÜRMANNUS perito-  
naeum ruptum filo sericeo aut puncto aureo  
deligare aut vincire studebat: post MERYUM  
vero sanior opinio multo plus auctoritatis fi-  
deique acquisivit. Is enim primus fere diserte  
atque majoribus uberior demonstravit, peri-  
tonaeum constanter produci in processum,  
qui saccus sit hernialis et testis tunicis adna-  
scatur: musculos abdominis suis tendinibus  
ei sacco exteriora involucra circumponere;  
saepe adhaerere inter se peritonaeum, omen-  
tum et intestinum, aut omentum ad testem.  
Sic tandem melior etiam mutatio operatio-  
nis herniarum exorta fuit, quam nostrorum  
temporum methodus sequuta est. <sup>28)</sup>

28) Mém. de l' ac. des scienc. à Paris a. 1701.

p. 59.

## S E C T I O II.

## P R A C T I C A.

## §. 16.

Quod operationem ipsam herniarum inguinalium et scrotalium attinet, primo consideranda sunt indicantia, seu ea symptomata et eae conditiones, quae suscipiendam esse operationem jubent.

Cum hernia sit morbus organicus, qui in praeternaturali situ et nexu partium versatur, ubi prolapsae sunt partes involucris suis naturalibus adhuc cinctae, generatim sequitur practica regula, situm naturale in omni hernia esse restituendum, atque interstitia ea esse claudenda, quae prolapsui partium internarum favent. Quod, quoties fieri ope constringentium mechanicorum, περισωματων, quibus pila adsuitur, adstringentiumque remediorum externorum potest, ad operationem ipsam nullo modo configiendum esse videtur. Diutissime enim hernia tolerari potest, imo per totam viam persistere, absque ullo periculooso symptomate.

## §. 17.

A. Incarcerata vero hernia primum est indicans operationis. Incarceratur autem hernia, dum vel annulus abdominalis, vel sacculus hernialis adeo constringuntur, ut circulus sanguinis per partem prolapsam rite fieri nequeat, vel etiam in ipsis intestinis prolapsis inflammatio, quae tumorem partis prolapsae, constrictionem et circuli sanguinis impedimentum producere potest. Hinc faeces coagmentatae, induratae, flatus, vermes, corpora peregrina, ut nuces cerasorum etc. herniarum incarcerationem saepenumero producunt.

## §. 18.

Quaeritur vero, quonam tempore operatio sit instituenda, dum hernia incarcerata adest? Tempus hoc neque diebus neque horis finiri potest, cum pro voluntate partes saepius periculosissima inducant symptomata, si incarceratio modo horulas paucas perfiterit. Alioquin vero incarceratio diutius saepius protrahitur absque ullo ancipiti symptomate. Dolores itaque atrocissimi in parte prolapso orti, et per abdomen tensum prorepentes,

calor molestus partis proolutae, impotentia alvum dejiciendi; flatum copia, qui omnes sursum adscendunt, nonnunquam quoque faecum quantitatem secum abripiunt; pulsus durus, spasticus aut irregularis, debilis, vibrans, singultus aliaque id genus symptomata, festinandam esse operationem jubent. Quodsi, dum ejusmodi adsunt affectus, auxilium chirurgicum procrastinatur, nil frequentius accidit, quam quae proolutae sunt partes, in gangrenam abeant. Indicatur itaque sub his symptomatibus illico operatio, quoties sueta leniora remedia bis terve incassum adhibita fuerint.

### §. 19.

Praesertim vero notandum, quod nunquam ad id temporis punctum procrastinanda sit operatio, ubi inflammatio terminum quemdam, aut vehementiae gradum jam adepta fuerit. Etenim, licet in illo casu operatio instituatur, nihil tamen opitulari potest, cum faepenumero enteritis subsequatur. Metus quoque hujus operationis nullis potest defendi argumentis, cum praeter telam cellulosam, partes tendi-

neas quasdam, et saccum hernialem, seu peritonaei processum, nihil laedatur. Periculum autem, quod ex diuturniore incarceratio-  
nis mora instat, multo magis urget, quam id,  
quod operatio unquam producere potest.

## §. 20.

B. Cum glutinata sunt inter se inte-  
stina provoluta, eamque ob causam reduci ne-  
queunt, cultellus chirurgicus opem ferre de-  
bet, nisi ab omni symptomate liber herniosus  
vitam suam protraxerit. Herniae omen-  
tales, nonnunquam minime incarceratede fir-  
miter tamen adhaerent et facco herniali et  
ipsi annulo abdominali. Hinc nil mirum, si  
in herniis femoralibus, ubi omentum praeci-  
pue devolutum esse solet, operatio, maxime  
anceps eo loco, nonnunquam requiritur. Simi-  
li plane modo in omento frequentias subnas-  
cuntur tumores duri aut fteatomata.

## §. 21.

C. Parvae, recentes et incompletae  
herniae, cum unicus tantum paries, aut appen-  
dix omental is fistulae intestinalis per interstitia  
muscularum abdominalium prolapsa est, tunc

indicat operationem, cum tractio et tensio oritur, quae lenioribus remediis tolli nequit. Parvae enim appendices intestinalium multo magis adaugent periculum in ramice, quam si insignis portio tractus intestinalium provoluta est.

## §. 22.

Quodsi ad ipsum operationis modum consilium transferimus, prius obstacula generalia removenda, ex quibus alioquin sequi possit malorum caterva, quae operatio ipsa non producit. Alvis itaque libera servanda clysmatibus et lotionibus; urina mittenda, aut, dum sanguinis copia urget, vena etiam secanda.

Tum aeger decumbere jubetur supinus, non in mensa, sicut varii veteres chirurgi fuaserunt, sed in margine lecti, ita ut pedes dependeant, vel fulti a ministris chirurgi vel scabellis nixi, praesertim ejus lateris pes, ubi tumor herniae adeat: coxae autem sint elatiores, caput aliquantum demissum, ut laxati appareant musculi abdominales. Ut mentum sterno incumbat, suadent WINSLOWIUS et

LE

LE CHAT DE LA SOURDIERE <sup>29)</sup>), cum laxatis  
musculis abdominalibus laxi debeant esse si-  
mul musculi colli anteriores, praesertim ster-  
nucleidomastoidei, ne tensio horum inducat  
contractionem abdominis muscularum.

§. 30.

Chirurgus sellulae insidens inter crura  
aegroti digitis prehendat super tumorem cu-  
tem, eam plicet, attollat, atque per eam scal-  
pellum rectum, cuius dorsum tumor obver-  
titur, trajiciat, et eum ab annulo abdomina-  
li inde, aut digitum transversum infra eun-  
dem ad basin seroti usque aperiat, ut foccus  
hernialis cum suis contentis in conspectum  
prodeat. Dilatetur vulnus in longitudinem,  
quantum fieri potest, neque metuat chirurgus,  
cum recte cultrum adigere didicit, malas hu-  
jus operationis sequelas. Etenim vasa sper-  
matica nullo modo laedi possunt in vulgaribus  
casibus, dum pone intestina provoluta locum  
habere soleant. Rarissime enim observatum

26) Hall. diss. chir. vol. III. p. 114.

est, funiculum spermaticum in antica parte tumoris situm habuisse.<sup>30)</sup>

Quodsi inter haec sanguis fertur, oportet illum linamentis obiectis, vel spongia spiritui frumenti immersa, occupare atque detergere; si vero arteria secta fuit, illam vincire, aut imposito digito ministri fortius comprimerre. Ubi cutis ex inflammatione valde intenta est, et plicari atque attolli nequit: aut cum glutinata inter se sunt provoluta, tunica ab exteriore parte deorsum versus incidi debet circumspectius. Plaga autem facta, adeps quae nonnunquam valde induruit, non tam secanda, quam ferramento, scalpellove retuso diducenda est, donec tandem ad herniae tunicam, quae ex peritonaeo deorsum versus subest, pervenitur.

### §. 24.

Tunica haec ipsa, seu saccus hernialis a quibusdam chirurgis prioris aevi intactus relinquebatur, atque non incisus una cum intestinis, dilatato tantum annulo abdominali, intus condebatur. RAVATONUS fere primus

30) LE DRAN traité des operat. p. 127.

fuit, qui metu laedendarum partium, sine urgentibus symptomatibus, consilium id dedit <sup>31)</sup> quem sequebatur **GARENGEOTUS**, is quidem, **LOVISIO** teste, nimis desultorius artifex, qui deserere solebat aegrotos, dum extra periculum essent.<sup>13)</sup> Quamvis negari non possit, hernias parvas faepius multo facilius reponi, cum facco adhuc involutae sunt, in que iis nihil opitulari incisionem tunicae peritonaei; quivis tamen facile concedet, saccum intestinis, quibus faeces nonnunquam inhaerent, omento, aliique contentis refertum, haudquaquam adeo facile reponi, quam dum ex aperto facco intestina singula seorsim reducantur. Deinde vero magni momenti instar habet, intestina ipsa a tunica peritonaei obtecta in conspectum non venire, cum saccum ipsum, non incisum, una cum intestinis reducere volumus. Multoties enim intestina ipsa secum glutinata, contortuplicata, tumoribus duris obfessa sunt, aut inflammationibus, gangraenosis partibus inquinata: quae vitia periculum insigniter augere possunt, dum una

## C 2

<sup>31)</sup> Mem. de l'ac. de Chirur. vol. IV. p. 290.

cum sacco reponuntur intestina. Denique inficias nemo ibit, facilius iterum prolabi posse intestina sacco peritonaei involuta, quam separata ab illo et seorsim reducta.

§. 25.

Antequam incisio tunicae peritonaei instituatur, considerandum est, utrum sit peritonaeum, quod proxime subest integumentis, an intestinorum ipsa tunica. Fieri enim potest, ut intestina faciem peritonaei praefeferant, quae nimis tensa et flatibus expansa sunt, denique peritonaeum ruptum est, quod rarius quidem, quandoque tamen, contingit. Verum enim vero differunt omnino intestina a peritonaei facie externa vasorum sanguiferorum numero et gyris atque musculosis fibris, quas produnt, ut confundi atque commutari cum peritonaeo nequeant, nisi ab imperito et ignorantie.

Caute autem aperiendus foccus, cum praesertim crassities ejus varia sit pro vario tempore, per quod jam perslitit hernia, pro varia corporis constitutione et pro varia aetate hominis. Hinc lamellatim tela cellularis

ita excindenda, ut tenaculis prehendatur lamina extima, scalpelloque pedem alterum respiciente caute excindatur. Sunt qui, LOVISIO praeente, statim specillum adigant per tunicam, et ad id scalpello transcindant faciem, postea vero forfice demissa latius apriant. Anceps vero haec methodus, quae expertissimam manum chirurgi requirit, plus damni parere potest, quam emolumenti. Tuitius est, lamellatim excindere tunicam, neque prius vulnus dilatare in annulum usque abdominalem, quam donec hic rite examinatus fuerit. Postea enim difficulter instrumenta in annulum condi possunt, cum prius jam incisus est; saepius quoque, uti postea monebimus, omnis omnino annuli incisio superflua judicanda.

### §. 26.

Simulac humor effluit aquosus, signum est, totum saccum apertum esse. Melius erit, in inferiori loco tumoris incisionem eo usque urgere, cum ibi humoris copia maxime insignis latere soleat, neque facile intesti-

na eo devoluta laedi possint.<sup>32)</sup> Laticis effluentis qualitas signat statum atque indolem intestinorum, quae si corrupta sunt, humorem profundunt fariosum, male olentem. Cum autem siccae sunt partes, coniectura est ea cum peritonaei tunica coaluisse.

Jam vero, cum penitus apertus est sacculus, intestina provolvuntur, atque volumen eorum, a nullo coercitum limite, insigniter augetur. In conspectum venit quaeque vitia-  
ta eorum indoles, cui statim quandoque mederi studet chirurgus, priusquam ulterius pro-  
cedat. Gangraenosas partes omenti aut inte-  
stini abluat detergatque balsamicis atque an-  
tisepticis, aut ita resecet, ut mortuam par-  
tem ne attingat. Sic quoque in suppuratis in-  
testinis procedat chirurgus, quae curationem in hernia haudquaquam respuere, observatio-  
nes HEISTERI docent.<sup>33)</sup> Inflammatae partes ipsae reponi possunt, absque periculi|urgen-

32) BELL'S Lehrbegr. d. Wundarzneyk. Th. I.  
S. 250. SABATIERS Lehrb. für pr. Wundärzte  
Th. I. S. 98.

33) HALL. diss. chirur. vol. III. p. 238. seqq.

tis metu: tepor enim in abdomine exhalans ex intestinis optime relaxabit et resolvet partes inflammatione tensas <sup>34).</sup>

§. 27.

Iam vero, aperto sacco et nudatis intestinis, ad annulum abdominalis est respiciendum, inquirendumque, sufficiatne ad reponenda intestina. Neque prius incidentus, quam lene experimentum factum fuerit, possitne levi extractione intestinum liberari cancellis, qui illud constringunt. Etenim repositio saepius bene contingit, absque ulla annuli abdominalis incisione. Digito porro adacto in annulum, probe inquiratur amplitudo ejusdem, quae si digitum indicem facile admittit, facile etiam intestina reponentur. Necessaria haec est dilatatio sine incisione, ope solius dorsi instituta, in hernia femorali, ubi facile laedi potest epigastrica arteria.

Quodsi vero nimis arctus fuerit annulus, digito immisso, qui optimum et vivum constituit specillum, scalpellum dirigatur, obtuso

<sup>34)</sup> SCHMUCKER chir. Wahrnehm, Th. II, S. 221.

apice praeditum et in extrema parte aliquantum resimum. Cum rectum est scalpellum, facile laeduntur partes: neque adsit globulus in apice ob frictionem noxiā. Scalpellum autem preferendum soli mechanicae dilatationi, in vulgari ramice inguinali, praesertim dum vicinae partes inflammatae sunt, quae facilis laeduntur gravius a distendente et comprimente digito, quam a cultro discidente. Digitus ope esse quamcunque dilatationem anuli instituendam, FABRIUS ET LE PLANC principue suaferunt, refutati uberius a LOVISIO 35).

§. 28.

Scalpellum ita dirigatur, ut digitus dorso impositus id protrudat versus lineam albam et umbilicum, neque dirigatur versus ilia, ob facilem laesionem vasorum sanguiferorum. In hac incisione non ulterius progrediendum, quam donec digitus liberam sentiat aperturam ad recondenda intestina aptam, ne superfluum vulnus oriatur, quod postea adeo facile resarciri nequiret.

35) Mem. de l'ac. de Chirurg. vol. IV. p. 295.

## §. 29.

Tum reponenda ipsa intestina cum omento prolapso, postquam id, quod inter se glutinatum est, digito referatum atque separatum, omenti portiuncula forte gangraenosa aut ulcerosa abscissa, segregati fuerunt tumores. Nonnunquam tamen, sicut antea monuimus, levis intestinorum laesio aut conglutinatio nullo modo curatur, sed qualia sunt, talia etiam reponuntur intestina. Cavendum vero, dum intestina reconduntur, ut quae ultimo loco provoluta sunt, primo iterum intromittantur, ne contortuplicatio intestinorum contingat. Hinc etiam parieti ei intestinorum digitii imponeendi, cui adhaeret peritonaeum, neque convexo lateri.

## §. 30.

Una cum intestinis saccum hernialem esse reponendum, variii chirurgi suadent, praepri-  
mis PFANNIUS<sup>36)</sup>, quia non adeo facile foccus postea cum tunica vaginali concrescere, quia annulus abdominalis multo prius constringi, neque postea incarceratio iterum contingere

36) HALL. diss. chirurg. vol III. p. 139.

possit. Haec argumenta vero uberior et jure quidem refatarunt LE DRAN et POTTIUS. Non solum enim adhaerent posticae parti facci vasorum spermatica, quorum funiculus nonnunquam adglutinatus peritonaeo reperitur, sed relapsus intestinorum multo facilius atque prius promovetur, cum totus omnino foccus reconditur, quam dum sola intestina reposita sunt. Non nulli quoque suadent tunicam peritonaei ligandam esse atque vinciendam, ne liber postea maneat transitus intestinorum. Vinctura vero haec constringens ductus seminales plus damni quam emolumenti producet, ideoque penitus deferenda. Neque turundae imponendae annulo abdominali, sicut majores nostri suaserunt, cum frictio et irritamentum, quod turundae producunt, noxas plurimas excitare valeant <sup>37)</sup>.

### §. 31.

Scalpello potius concidendum est annulus abdominalis, atque scarificandus, quo validior fiat cicatrix. Vulneri superdatur pila prius

37) HEISTER in HALL. diss. chirurg. vol. III;

p. 243.

in medicamentum ad id accommodatum demittenda. Imponuntur porro panni plures graduati et injicitur fascia, quae formam Trefert. Neque spica sic dicta suadenda, quae molestiae multum producit, cum vincturam vel injicere vel solvere cupiveris, neque emolumen-  
ti aliquid singularis affert. Fulciatur simul scrotum sacculo, seu appendice fasciae ad id aptae, atque ante tertium aut quartum diem vinctura haec solvenda non est. Deinde vero linamentis carptis impositis iterum ligetur.

### §. 32.

Omnia denique autem sollicitius, velut in graviter vulneratis, agenda sunt. Perutiles sunt lotiones ex pulpa tamarindorum, cremore tartari aut tartaro boraxato paratae: sic crebrius in alvum immittuntur: clysmata, ne faeces iterum aut flatus accumulentur. Abstinētia prae aliis diaeteticis regulis commendanda aegroto et victus is, qui vulneratis et febrentibus idoneus est.

## S E C T I O III.

## DELECTUS INSTRUMENTORUM.

§. 33.

Optima instrumenta ea sunt, quorum apparatus simplicitatem signat. Hinc SCALPELUM primum vulgare, ab altera parte obtusum, in apice paullum resimum sit, sicut RICHTERI, SHARPII et BELLII scalpella. Neque globulo sit praeditum, quale ARNAUDUS commendavit, neque obtuse limatum, quale PETITUS fuisse. HEISTERI quoque scalpellum a SENFFIO correctum, lamella rotunda praeditum, superfluum est, si exercitata chirurgi manus est.

§. 34.

Specilla rejicienda in dilatatione annuli abdominalis, sed omnino adhibenda cum incidere volueris saccum herniale. MERYI et PETITI specilla alata, nullo modo adjuvare possunt operationem, sed specillis vulgaribus cedere debent.

§. 35.

Simili plane modo judicandum de dilatatoriis, quae Galli LE CAT, LE BLANC alii-

que excogitaverunt ad dilatandum annulum abdominalis.

Substituere conatus est chirurgus LE BLANC instrumentum suum vulgari incisioni, quam ea ratione taxavit, quod dolores excitet summos, quod facile lacerari possint intestina, quod ipsae saepenumero vulnerentur arteriae adjacentes, quod numquam interstitia, per quae intestina prolapsa sunt, penitus coalescant, dum discissae sunt fibrae tendineae, Hinc ope dilatatorii (Gorgeret) obtusi expandit interstitia muscularum abdominalium, quod jam antea ARNAUDUS ope unci conatus fuerat, quo ligamentum Poupartii in hernia femorali attollebat, ne arteria epigastrica laederetur. Cum vero inflammatae partes vicinae multo magis irritari debeant a compressione et dilatatione violenta, incisio ubique fere praferenda huic instrumento.

Acus denique singulares commendandae non sunt, sed vulgares eae adhibendae, quibus subligantur vasa vulnerata, aut quibus venter laceratus consuitur.

## T H E S E S.

1. Omnis morbi, quem ad laesam vim vitalem referimus, causa proxima in vitijs organi aegrotantis mixtione quaerenda est.
2. Quamquam, quod extractionis cataractae ejusque depressionis commoda attinet, altera alteri in omnibus quidem causibus praferenda non est, saepissime tamen extractio depressioni praefat.
3. Non in solidis tantum, verum et in fluidis hominis vivi partibus ad certum gradum vis vitalis laedi potest.
4. In hominibus procul dubio superfoetatio locum non habet.
5. Partus praematuri nec non ferotini, in sensu medico - forensi, ceteris paribus, figmenta sunt, et reapse fundamento carent.
6. Docimasia pulmonum Ploucquetii docimasiae pulmonum Galeni et Danielis longe praferenda est.

# AMICISSIMO SCHULTZIO

S U O

C. D. B A L T Z E R,

P E R L E B E R G E N S I S ,

S. P. D.


Honoribus ornatum **T E** eque nostro heu in  
perpetuum forsan complexu discedentem, li-  
ceat mihi gratulationibus votisque prosequi,  
quod quidem multo majori cum laetitia face-  
rem, si mihi spes esset **T E C U M**, Amicissime,  
vivendi et illam felicitatem, quae, quod haud  
temere auguror, virtutum **T U A R U M**, doctri-  
nae et dexteritatis praemium erit, coram in-  
tuendi. Nos junxerunt omnia, quae quidem  
amicos jungere solent; quare et amor ille no-  
ster mutuuus talis erat, qualem vera omnisque  
alieni studii et *παθηματος* animi impuri libera  
amicitia illum postulat: sed ipsum hoc in cau-  
fa est, cur nos divelli jam tantopere doleam,  
nilque me possit consolari, praeter imaginem  
illam, quae futurae **T U A E** felicitatis oculis  
meis obversatur. Ito igitur, **S C H U L T Z I**  
**dulcissime**, quo **T U A T E** fortuna vocat,  
et honores **T I B I** in **T U A** arte collatos fau-  
stissimae praxis ingenti gloria augeto, ut quam-

quam in futura tempora una esse non possumus, de t e sicut perpetuo cogitabo, ita semper audiam. Nostri animum in t e meum, ego quoque t u u m in me novi; opus igitur non est, ut me t i b i commendem, t e que de perpetuo meo t u i amore certum esse jubeam. En dextra fidesque, s c h u l t z i carissime, quam laedere mihi t i r i que jus fasque non est: et si vita suppeditet, senectus olim nostra tales nos accipiet amicos, quales juventa habuit. Vale. Halaes Sax. d. 13.

Sept. 1797.

1078

PICA



D E

(4)

H E R N I A R U M  
O P E R A T I O N E  
A N A L E C T A

